

DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
REQVISITIS TORTVRAE,  
SIMVL  
ANNEXA RESOLVTIONE QVAESTIONIS,  
AN TORTVRA SIT ABROGANDA, ET QVA-  
LE SVRROGATVM SIT SVBSTITU-  
TVENDVM?

QVAM  
INDVLTV ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE  
IN PERANTIQVA ELECTORALI VNIVERSITATE  
ERFORDIENSI

PRO GRADV DOCTORIS

DIE XXII. NOVEMB. 1792.

A B S Q V E P R A E S I D E  
PVBLICE TVEBITVR

JOH. CHR. ST. EMAN. VOEGEL  
ERFORDIENSIS

IVRIS VTRIVSQUE dd. ET ADVOCATVS REGIMINIS ELECTORALIS  
AC IUDICII PROVINCIALIS RECEPTVS.

ERFORDIAE, LITTERIS GOERLINGIANIS, ACADEM. TYPOGR.



REVERENDISSIMO  
ILLVSTRISSIMO ET CLEMENTISSIMO  
DOMINO  
DOMINO  
CAROLO THEODORO  
ANTONIO MARIAE  
DE DALBERG  
ARCHIEPISCOPO TARSensi,  
COADIVTORI MOGVNTINO, WORMATIensi, AC  
CONSTANTIensi ETC. ETC.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.



REVERENDISSIME  
ILLUSTRISSE ET CLEMEN-  
TISSIME DOMINE

Lubentissimo animo eis me adiungo, qui pri-  
mas lineas eruditionis, quas in lucem proferre  
velint, TIBI vouent. Non resisto, cordi  
\* 3 meo

meo compellenti, etiam laborem meum exiguum in Tuas manus tradere, et expectare  
an TU, ILLUSTRISSIME et CLEMENTISSIME DOMINE, in sententiam  
meam iturus sis. Fere abstinuisse, sed quia  
gnarus sum, TE non desiderare, opus, omni  
censura exemptum, hoc denuo me excitauit,  
votum meum persequi. Non existumo, melius  
librum dēdicari, quam tali personae, de qua cer-  
tior factus sum, illam etiam panca, quae assen-  
sum mereantur, iusta aestimatione digna habere  
et cum sciam TE principia humanae naturae,

con-

conformia nutrire, credidi, audaciae meae  
esse ignoscendum, ut numerum eorum augeam,  
qui forsan maiori collaudatione digni sunt.  
Omnia, quae in Dissertatione mea protuli, bene  
perpendi, et omnibus, qui humanitati student,  
et doctrinam de criminibus, sanioribus principiis  
exornare vellent, ad censendum trade. TE prae-  
cipue, ILLUSTRISSIME et CLEMEN-  
TISSIME DOMINE, delicias gentis nostrae  
esse, omnia mihi probant quae hactenus in  
nostra republica sunt instituta. Et hac ratione  
adductus spes mihi nascitur torturam institutum

et-


ethnicum, non amplius membra cinium nostrorum,  
maximis doloribus afficere.

REVERENDISSIME  
ILLUSTRISSIME ET CLEMEN-  
TISSIME DOMINE

Seruorum

T U Q R U M  
infimus.

§. 1.



N.

§. I.

Plures ideae in lucem prolatae sunt, quae ad definitio- De ideis  
nem torturac quadrant; quaestione nomen enim val- torturae.  
de est aquiuocum.

1. Accipitur pro dubitatione, quae oritur aut ex iure aut ex facto, l. 16. in fin. π. de statu hominum.
2. Pro iudicio publico, l. 2. §. 23. et 32. ad leg. Corn. de Fals.
3. Pro interrogatione de crimine, quae fit per tormenta corporis, totus tit. π. de quaest. vti et Codicis.

Liceat mihi, definitiones quasdam adducere. Inuenimus talem in l. 1. §. 25. π. ad S. C. Silan., vbi Ictus Vlpianus dicit: quaestione autem sic accipimus, non tormenta tantum; sed omnem inquisitionem et defensionem mortis.

1.

A

§. 2.

## §. 2.

Secundam nobis praebet Theoderici in iudicio criminali, c. 9. aphor. 9. torturam esse interrogationem, vel de crimine commisso, vel de causa pecuniaria dubia, per corporis tormenta ad eruendam veritatem legitime a iudice instituta. Sed illam definitionem latiorem definito esse, clare mihi praे oculis est. Extra enim limites dubii situm, torturam in causis pecuniariorum minime applicari; et auctor ille fatetur in not. d. regulariter hac in causa torturam non esse vtendam.

Tertiam invenio in diss. de vſu et abusu torturæ Halae 1735., cuius auctor est de Boden. Iuxta illam tortura est actus judicialis, quo de crimine aut alias in ardua causa de falsitate suspectus, quis iudicis auctoritate ad eruendam veritatem corporis dolori subiicitur. Auctor respicit præsertim ad quaestionem Romanorum. Sed differt illa interdum a tortura ipsa, haec conficitur nudis instrumentis et exprimit etiam actum torturæ et cruciatum, quaestio autem est interrogatio rei, super re, quam ob causam tormentis subiectus est. Me sentiente suffulta est illa definitio in l. 10. C. de quaestionibus, „vbi sanciunt imperatores Diocletianus et Maximianus, cum „testamentum falso esse proponas, ad illuminandam veri- „tatem seruos hereditarios etiam per tormenta interrogari „constitutionibus principum est permisum: fundatur etiam

„l. 1.

„I. i. pr. n. ad S. C. Silan. vbi ait Vlpianus: cum aliter  
 „nulla domus tuta esse possit, nisi periculo capitis sui  
 „custodiam dominis tam a domesticis quam ab extraneis,  
 „praestare serui cogantur; ideo Sen. Conf. introducta sunt  
 „de publica quaestione a familia necatorum habenda.“

Tertiam nobis praebet Tabor in tr. de tortura et ind.  
 del. c. n. §. 5. esse interogationem rei, vel alterius qui  
 facto interfuit, per tormenta gradatim a iudice legitimo  
 facto, quando veritas aliter explorari non possit. Sed illa  
 definitio mihi plane iusta non videtur. Extra dubium  
 est, torturam tunc demum locum habere,

- a) si corpus delicti est certum. Exceptio inuenitur in  
 I. i. §. 24. n. ad S. C. Silan., vbi verba haec: in de-  
 lictis tamen facti transeuntis et occultis sufficit de eo  
 constare per urgentes coniecturas;
- b) si indicia semiplenam ipsius delicti ab inquisito com-  
 missi probationem constituentia adsunt;
- c) si illud delictum poenam capitalem meretur.

Verba definitionis nimis sunt vaga, sequeretur enim ex hac  
 definitione, ut et iam talis torturae sit subiiciendus, contra  
 quem plane nulla adhuc pugnant indicia. Potest quis  
 appellari reus, et tamen forsitan crimen non patrauit;  
 testes forsitan contra illum deponunt, et si corpus delicti non  
 adhuc sit certum.

## §. 3.

Quarta definitio extat in diss. Tenzeli de tortura testium, Erfordiae 1724. Sic concepta est: tortura est examen iudicis extraordinarium per tormenta institutum, mediante quo inquisitus satis grauatus adigitur ad confessionem faciendam eius criminis, cuius poena ad minimum est corporis affictiua. Illa definitio iusta est vsque ad finem, vbi auctor perhibet, etiam ob crimen, cuius poena est corporis affictiua, torturam irrogari posse. Me talem sententiam non subscribere, vltiori parte ostensurus sum. Illi definitioni similis est ista Boehmeri in introd. in ius Digest. tit. de quaest. §. 1. Nobis est etiam definitio ill. Kochii in inst. iur. crim. §. 853. dicentis: torturam esse illud medium, quo per ipsos tormentorum cruciatus veritatem eruere studet iudex. Sed vaga et inutilis illa est, quadrat enim tantum ad definiendam torturam in genere. Tanto melius mihi placet definitio Quistorpii in seinen Grundz. des t. p. R. §. 722. *Wenn Inquisiten oder Zeugen in peinlichen Fällen bey vorhandenen gegründeten Anzeigen mittelst verschiedener dem Körper zugefügten Schmerzen, von Gerichtsmegen angehalten werden, die Wahrheit zu gesiehn, so pflegt man dieses die Tortur zu nennen.*

## §. 4.

Cum maximi cruciatus ideam torturae definiant, et fere dolores saepe per illam excitentur, qui natura humana tura locum fortiores sunt, nemo inficiandum ibit, tale delictum requiri, cuius atrocitas inquisitum e medio conciunium tollat et infra homines illum mittat. Sed, quia atrocitas potest esse tam in abstracto quam in concreto, et de hac prius iudicari nequeat, quam certum sit crimen quoddam atrox patratum esse, requiritur:

I. Ut corpus delicti sit certum. Risu dignum est, Requiritur si Iureconsulti quidam opinioni fauent, torturam seruire primo certitudinem ad liquidandum delictum. Corporis delicti certitudinem titudo corporis delicti. magni ponderis esse, ex eo appareat, ut nequidem tortura applicari possit, licet reus confiteatur et delicti corpus non adhuc certum sit. Quis *Corps Grundsätze des t. p. R.* §. 731. Sed e contrario tunc torturae locus datur, etiam dubio certo respectu corpore delicti, dummodo dolus inquisiti certe ex actis constet et ex omnibus circumstantiis appareat. *Helfeld ad Engavii elem. iur. crim.* §. 241. Hoc Carolus quintus in art. 131. C. C. comprobat, dicens: torturam applicari, si infanticidium quidem non adhuc probatum, sed tamen ab inquisita dolose celetur. Maximam curam quilibet index impendat, ut de corpore delicti certior fiat. Quid autem proprie sit corpus delicti, satis ex scriptoribus rerum criminalium nobis notum est. Tamen

permisum sit mihi, definitionem quandam accipere, quae  
 omne comprehendat, quod sub nomine corporis delicti  
 confluit. Diuidendum est in corpus delicti in genere et  
 in specie: illud est id, ex quo de facti praesumtiu[m] delictum  
 constituentis perpetratione et qualitate constat; hoc autem,  
 ex quo de his constat per inspectionem ocularem. Quia  
 iam ad formandam inquisitionem specialem certitudo cor-  
 poris delicti requiratur, et iudex nulliter ageret, funda-  
 mentaliaque processus criminalis negligeret, nisi de eo con-  
 stet, multo magis illa certitudo necesse est, vbi de maiori  
 praeindicio adhuc agitur. Nam tortura quidem est actus  
 inquisitionis specialis, sed semper id, quod famam nostram  
 fugillat, leuius eo est, quo cruciatu[m] in corpore patimur;  
 facilis est thesis: adhuc perfectiori certitudine corporis  
 delicti constare debere, si ad torturam inquisitus est du-  
 cendus, quam si tantum de incipienda inquisitione speciali  
 sermo est. Omnia haecce dicta a legislatoribus tam roma-  
 nis, quam germanicis optime ponderata sunt. Exempla  
 nobis praebet *Vlpianus* a) in I. i. §. 24. π ad S. C. Silan.  
 verba sunt: „item illud sciendum est, nisi constet, aliquem  
 „esse occisum, non haberi de familia quaestionem, lique-  
 „ritur debet, scelere intererunt, ut S. C. locus sit; b) in  
 „I. i. §. i. π de quaestionibus: in criminibus erundis  
 „quaestio adhiberi solet. Sed quando vel quatenus id fa-  
 „ciendum sit, videamus. Et non esse a tormentis incipien-  
 „dum et Diuus Augustus constituit, neque adeo fidem qua-  
 „stioni

,stioni adhibendam.“ Carolus quintus autem in art. 6. C. C. sancit. Dazu soll auch ein ieder peinlicher Richter in diesen großen Sachen vor der peinlichen Frage, so viel möglich, und nach Gestalt und Gelegenheit einer ieden Sache beschehen kann, sich erkundigen, und fleißig Nachfragens haben, ob die Missethat, darum er angenommen, berüchtigt und verdacht, auch beschehen sey oder nicht. Exceptiones etiam de deficiente corpore delicti ad litis ingressum impedientes refert Hertius. de ordin. causs.

S. 5.

2. Ut delictum sit capitale. Maxima adest de hac Secundo regula controversia, et fere a defensione huius axiomatis requiritur abstinuissim. Multorum iureconsultorum auctoritas mihi delictum contradicit. Sed tamen etiam suffultus auctoritate aliorum non sine ratione sententiam amplector, ut ad torturam delictum requiratur capitale. Praecipue me mouet art. 8. C. C. vbi verba: *So die Missethat einer Todesstrafe halben kündlich, oder aber deshalb redliche Anzeigung, wie davon vor berühret ist, erfunden wird: so soll es der peinlichen Frage gehalten werden.* Imperator requirit hic, ut poena sit capitalis et ratio certe in eo lateat, quoniam per torturam cruciatus inhumanissimi euelluntur, pagina quadam superiori iam dixi, ut delictum sit atrox, atrox autem delictum in regula est, quod sequitur poena capitalis. Si opinio nem eorum amplecti vellemus, qui putant, etiam ob talia delicta

delicta torturae locum dari, quibus poena corporis afflittiua imposita est, certe talis inquisitus duplicibus cruciatibus afficeretur, poena enim corporis afflittiua proxima est poenae capitali, quamvis plurimi torturam non qua poenam, sed qua medium eruendae veritatis considerent. Si tortura locum haberet etiam in eo crimine, quo poena exilii vel pecuniariae est inponenda, illud absurdum resultaret, quod tunc maior poena esset tortura, quam illa, quae speratur imponi pro delicto. Theoderici crim. c. 9. aph. 9. not. f. ad torturam crimen capitale aut delictum atrox requiri prohibet. Id quoque Carpzov. dicit pr. nou. rer. crim. q. 119. §. 2. 3. l. 8. nr. de quaest., clara de illa re verba continet: „quaestiones neque semper in omni caussa et persona defiderari debere arbitror, et cum maleficia atrociora et capitalia non aliter explorari et inuestigari possint quam per furtorum quaestiones, efficacissimas eas esse ad inquirendam veritatem existimo, et habendas censeo.“ Sententiae meae et in legibus fundatae assentient adhuc Schilter praxi iur. rom. in for. germ. Ex. 49. th. 107. Harpprecht resp. 6. §. 13. Struben 1. B. 3ter 7<sup>1/2</sup>. n. 143. Bauer D. de modo torturae secundum leges habenda, Lips. 1772. An vero opinio contradictum tam legibus quam humanitati sit conueniens, cuiuslibet penetrationi relinquenda. Duo sunt axiomata, quae ab illis non obseruata sunt a) in dubio pro reo est iudicandum, b) in criminalibus mitior sententia est amplectenda. Contra hasce regulas peccant omnes

omnes illi, qui opinioni fauent, etiam in delictis poenam corporis afflictuam merentibus, torturae applicationem iustum esse. Enim vero nostris temporibus ius maxime incertum existit, fere quilibet iureconsultus de novo iure constituendo impregnatus est, latasque leges per interpretationem doctrinalem in suum commodum verit. Suas conditas leges seu potius ideas cerebrinas libris inserit et quemlibet cogere velit, ad opinionem suam amplectendam. Satis mihi notum est, saepe tres varias sententias de vna re litigiosa latas esse, vbi quodlibet collegium illam opinionem fouet, quae illi videtur optima, et tunc statim dicitur, sententiam esse in praxi receptam, et si leges autenticae contrarium sanciant. Iusta est regula: Icti non est examinare leges sed iudicare secundum leges. Per tales perueritates studium iurisprudentiae quam difficillimum redditur et plane fastidium excitat, cum fere in quolibet titulo innumerae controuersiae inueniantur, vbi legum perspicuitas ante oculos est. Satis iam est luctu dignum, ut de variis casibus iura fileant; sed pessima est consuetudo, examinare leges iam constitutas, quae consuetudo ab omnibus collegiis scabinatibusque relegari deberet. Sententiam hanc, legibus contraria tuentes pro defendenda opinione falsa l. 8. §. 1. nr. de quaest. allegant, vbi verba: statu liber in adulterio postulari poterit, ut quaestio ex eo habeatur, quod seruus heredis est, sed spem suam retinebit. Variae erant poenae adulterii apud romanos. Tempore liberae

B

rei-

reipublicae poena a marito qua iudice domestico consentientibus agnatis determinata, et tam patri quam marito internecio adulteri et adulterae permisso est. Lex Iulia de adulteriis imposuit huic crimini poenam relegationis, vel deportationis et amissionis cuiusdam partis bonorum. Omnibus illis legibus derogatur per l. 30. §. 1. C. ad leg. Iul. de adult., ibi Constantinus magnus poenam mortis adulterio imponit. Vbi ita haecce poena, sicut in Saxonia, adhuc viget, ibi etiam adhuc in delicto tali tortura est adhibenda, plane vero cessat adhibitio in territoriis, vbi levior poena illi crimini irrogatur. Porro dissentientes se se fulcire conantur in l. 9. pr. 2. vbi de quaest. Diuus Pius rescriptis: „posse de seruis haberi quaestionem in causa pecuniaria, si aliter veritas inueniri non possit, quod et aliis rescriptis cauetur. Sed hoc ita est, vt non facile in re pecuniaria quaestio habeatur, sed si aliter veritas inueniri non possit, nisi per tormenta, licet habere quaestionem. Sed certe illi duriores Icti obliti sunt:

- a) Statum seruorum romanorum nequidem ad nostros seruos conductios et homines proprios quadrare, multo minus ad ciues liberos. Plane tota doctrina de seruis romanis apud nos vsu caret. Et quis crederet, vt iureconsulti conarentur, in durissima quadam causa illas leges ad nostrum aeuum trahere?
- b) Ius romanum solummodo in subsidium esse receptum, haecce vox non aliam admittit interpretationem,

quam

quam, si legibus patriis nil mutatum aut ius germanicum taceat. Hoc in casu vero exulant illa fundamenta, nam per art. 8. C. C. illa lex romana est sublata.

§. 6.

Tertio. Ad torturam requiruntur indicia semiplenam *ut ad sint ipsius delicti ab inquisito commissi probationem consti- tuentia. Indicia diuiduntur in proxima et remota. Haec sunt, quae saepius fallunt, eorumque gradus probabilitatis non adeo magnus est. Illa dicuntur, quibus summus probabilitatis gradus inest, quaeque ordinarie cum crimen- solent esse connexa. Indicia proxima vocat Claproth in seiner Einleitung in sämtliche summarische Prozesse §. 517. quorum quodlibet ad torturam sufficit, quoniam maiori probabilitate gaudet et igitur semiplenam probationem facit; remota autem appellat, quorum vnum non ad torturam sufficit. Legibus criminalibus et praeципue C. C. haecce definitio conuenit, quia Carolus tale indicium, quod semiplenam probationem continet et proximum, ad torturam sufficere sancit. Indicia proxima quoque appellantur talia, quae sunt clara et luce meridiana clariora, quae iudicem quasi certum reddunt de delinquente, ita ut nil aliud deesse videatur quam rei confessio L. i. pr. π de quaest. Sed haec non ad torturam pertinent, sed ad condemnationem, ad torturam 4olummodo requiruntur indicia*

B 2

clara

clara et certe talia, nempe, ut in genere suo sint apta ad plene persuadendum, licet, non ad plene probandum. Farinacius prax. crim. lib. I. tit. 5. q. 37. n. 5. Certe hic amplissimus usus arbitrii iudicis obuenit, cum saepius indicia in C. C. non determinentur. Art. 25. quaedam insunt sed pauciora, et prudentiae iudicis fere omnia relinquentur. Sunt plures isti qui credunt, plus quam semiplenam probationem ad torturam infligendam necesse esse. Satis constat, indicium quodlibet proximum sufficienter probatum, semiplenam ipsius criminis a reo perpetrati probationem efficere. Ex hoc fluit, ut, uno indicio proximo plene probato, tortura irrogari possit. Hoc apparet art. 23. C. C. vbi clara verba: *Eine jede genugsame Anzeigung, darauf man peinlich fragen mag, soll mit zwey guten Zeugen bewiesen werden, wie da in etlichen Artikeln, darnach von genugsaamer Beweisung geschrieben steht.* Notatu digna est differentia illa art. 23. in casu, wo die Hauptache der Missthat mit einem guten Zeugen bewiesen würde, dieselbe als eine halbe Beweisung mächet ein genugsame Anzeigung, et in illo, vbi ad probationem indicii proximi duo testes requiruntur. Tamen minime credendum est, singulas reum arguentes circumstantias per duos testes probari debere, repugnaret hoc menti legislatoris. Nam si singula plura indicia per duos testes probentur, verendum esset, ne delicta pleraque euaderent impunita. Si igitur plura indicia contra reum respectu singulorum sufficiunt,

cunt, testes singuli inter se iungendi. *Kress ad art. 23,*  
*art. 2.* Carolus supponit casum, vbi reus non nisi vnico  
 graui indicio per se alias ad torturam secundum art. 29.  
 sufficienti vrgetur.

## §. 7.

Differunt isti denivo inter se, multi credunt, vnum Dissensus  
 indicium proximum plene probatum ad torturam non suffi- idorum,  
 cere. A via recta aberrant isti, in omnibus enim articulis  
 C. C., vbi de indiciis agitur, clare continetur regula, vnum  
 indicium proximum plene probatum, ad semiplenam pro-  
 bationem sufficere, ergo etiam ad torturam. Art. 20, 22,  
 23, 27, 29. Sed itidem ex C. C. apparet vnum indi-  
 cium remotum non sufficere. Septem indiciorum remoto-  
 rum species determinantur in art. 25., sed in art. 27. dicit  
 imperator: *Derselbigen argnöhnigen Theile oder Stück ist*  
*keines allein zu redlicher Anzeigung genugsam, darauf pein-  
 liche Frage mag gebraucht werden. Wo aber solcher arg-  
 nöhnigen Theile oder Stücke etliche bey einander auf jemand  
 erfunden werden, so sollen diejenigen, denen peinlicher Fra-  
 gen halber zu erkennen gebührt, ermessen, ob dieselbe obbe-  
 stimmte oder dergleichen erfundene argnöhnige Theile oder  
 Stücke, so viel redliche Anzeigung der verdachten Missethat  
 thun mögen, als die nachstehende Artikel, deren ein jeder  
 allein nur redliche Anzeigung macht, und zu peinlicher  
 Frage genugsam ist.*

## B 3

## §. 8.

Requiritur  
vt alia media  
probandi  
desint.

## §. 8.

Requiritur ad torturam porro, vt desint alia media probandi. In nostro aevo illa sanior opinio est recepta, vt tam conuictio quam confessio ad sententiam simul non requiratur. Carpzov. pr. nou. q. 117. §. 1. Satis est, si per medium probandi probatio existat, aut si minus plena est, confessio extorquatur per questionem, et si reus criminis alicuius condemnari non debeat, nisi confessus aut conuictus sit, attamen non statim absoluendus est, qui delictum diffitetur, ac legitimis et plenis probationibus conuinci nequit, quia multum reipublicae interest crimina puniri hominesque facinorosos e medio tolli. Placet mihi l. 51. §. 2. π. ad l. Aquil. vbi: „omnibus modis „laborandum erit quo veritas detegatur, id quod per tor- „menta commodissime, fieri potest et solet. Etenim, quia „pleraque crimina clam et occulte committantur, vt sem- „per copia testimoniū haberi non possit.“ Varia sunt media probandi, nimirum indicia, documenta, testes, ocularis inspectio et confessio. Iam supra dictum est, unum indicium proximum plene probatum ad torturam sufficere. Si autem veritas per alia media probandi explorari potest, tortura adhibere nequit. l. 8. pr. π. de quaest. iam supra all. l. 12. C. eod. tit., vbi Dioclet. et Maximian. enunciant „quoties de dominio mancipiorum tractatur, si aliis „probationibus veritas illuminari non possit, de se ipsa „esse cum tormentis interroganda, iuris auctores probant.“

Theode-

Theoderici c. 9. aph. 9. art. 9. Claproth Einleitung in  
Sämtliche summarische Prozesse §. 600.

§. 9.

Personam, cui tortura irrogari debet, non esse immu- Vt persona  
nem, quoque requirunt leges. Variae liberantur A) ob non sit  
dignitatem a tortura  
immunis.

I) Milites. Priuilegium illis datum est in l. 8. pr. C.  
de quaest. ibi Dioclet. et Maximian: milites neque tormentis  
neque plebeiorum poenis in caussis criminum subiungi  
concedimus, etiam si non emeritis stipendiis suis videan-  
tur esse dimissi, exceptis his, qui scilicet ignominiosa soluti,  
quod et in filiis militum et veteranorum seruabitur.  
Idem priuilegium illis indulget l. 3. §. 1. nr. de remilitari,  
vbi Modestinus ait: „poenae militum huiuscemodi sunt,  
„castigatio, pecuniaria multa, munerum indictio, militiae  
„mutatio, gradus deiectio, ignominiosa missio, nam in  
„metallum aut in opus metalli non dabuntur, nec tor-  
„quentur.“ An vero hoc priuilegium adhuc valeat,  
disquisitionis opus est. Si in examinandis legibus romanis  
curam et operam damus, facile est intellectu et visu, illas  
sanctiones ad omnes milites esse trahendas. Satis mihi sit,  
vt leges iam citatas in memoriam reuocem. Sed hac in  
via leti mihi obuii veniunt, qui sententias illas favorabiles  
ad equites et capitaneos restringere vellent, gregariosque  
milites ab illo excludi perhibent. Carpzov pr. nou. q.

118. n. 74. Quistorp. I. c. §. 728. n. 1. Schorch. sent.  
 179. n. 10. Eset hoc iniqitas enormis, certum enim est,  
 gregarios milites in acie saepius vincere ob virtutem, et  
 praefectos eorum parum contribuisse ad victoriam. Carp-  
 zov fundamentum assertionis ponit in Rec. Imp. de an. 1555  
 §. 35. 36. 39. et exinde argumentatur, hocce priuilegium  
 ratione militum gregariorum hodie sublatum esse. Sed in-  
 spectis verbis, ea solum contenta esse arbitror, non vult im-  
 perator Ferdinandus I. omnes illos milites, qui stipendum  
 amplius non accipiunt, et in territoriis praedantur, secun-  
 dum leges imperii esse puniendos. Sed ius romanum mil-  
 titibus gregariis hocce priuilegium quoque addixit, ob per-  
 culum in quo semper versantur, si patrium defendere  
 debent. Insana prodit Carpzov. I. c. dicens: milites nil  
 aliud facere, quam quod anseres et gallinas furentur,  
 rusticisque misere concutiant. Certe priuilegium, digni-  
 tati inhaerens cum dignitate expirat. L. 6. §. 14. π. de  
 excusat. Atqui militibus hocce priuilegium ob dignita-  
 tem est concessum, ergo dignitate cessante, illud etiam  
 amplius utilitatem non praefstat. Ius illud militum vindicat  
 Stryk. v. m. tit. de quaest. §. 3. verum, inquit, cum l. 8.  
 C. de quaest. de omnibus militibus generaliter loquatur,  
 et ratio periculorum atque laborum sit eadem, milites etiam  
 gregarii non minus ac eorum officiales rempublicam de-  
 fendant, hinc dictum priuilegium nec gregariis militi-  
 bus denegandum esse existimo, modo alias bonum vitae  
 ante

ante actae testimonium habeant. Brunnemann proc. in-  
quis. c. 8. m. 5. n. 27. amittunt milites hoc priuilegium  
1) propter transfugam ad hostes in l. 3. §. 10. π. de re  
militari, 2) propter crimen laesae maiestatis l. 3. C. ad  
leg. Iul. Maiestatis, ibi Constantinus sancit: „Si quis alicui  
„maiestatis crimen intenderit, cum in huiuscemodi re  
„conuictus, minime quisquam priuilegio dignitatis ali-  
„cuius a strictiore inquisitione defendatur, sciat, se quo-  
„que tormentis esse subdendum.“ Hoc repetunt Imperato-  
res Valentinianus, Valens et Gratianus in l. 4. C. ad leg. Iul.  
Maiestatis. Nullus militiae vel generis vel dignitatis de-  
fensione ut prohibeatur, excepta tantum maiestatis cauſa,  
in qua sola omnibus aequa condito est.

## §. 10.

Eximuntur quoque a tortura clarissimi, eminentissimi Senatores  
et perfectissimi viri l. 10. C. de dignitatibus; l. 11. et magistra-  
C. de quaestionibus. Inter viros clarissimos intelliguntur tus.  
secundum l. 11. C. de dignitatibus, senatores; inter  
eminentissimos et perfectissimos magistratus, decuriones aut  
principalii honore muniti l. 17. C. de quaest. Hocce priui-  
legium extenditur ab Imperatore Diocletiano et Maximiano  
in l. 2. cit. vsque ad pronepotes. Mutata hodie antiquae  
reipublicae romanae facie et statu, illi, qui olim procon-  
sules, praetores, praesides fuerunt, hodie sunt principes,  
duces, marchiones, comites, barones. Sapit enim surro-

C

gatum

gatum naturam eius cui surrogatum est. Carpzov. pr.  
nov. qu. 118. n. 71. in germania his annumerantur quoque  
episcopi, qui etiam sunt status imperii. Multi credunt hoc  
priuilegium concessum esse professoribus et medicis. Sese  
fundant in I. 6. C. de profess. et med. Sed verba non sunt  
talia, ex quibus priuilegium immunitatis a tortura elucere  
possit. Dixit Constantinus: „Praecipimus medicos, gram-  
maticos et professores alios literarum et doctores legum  
„nec cum vxoribus et filiis, nullo fungi munere, ad  
„iudicium deduci vel iniuriam pati.“ Ex hoc autem non  
apparet, illos a tortura immunes esse. Ille enim, qui  
semiplenam probationem contra se habet, non iniuriam  
patitur, sed ius illud dicitur, imputatque sibi inquisicio-  
nem. Conclusio talis famam imperatorum sugillaret,  
si homines, maximis criminibus inbutos, a poena liberarent,  
esset lex perplexa, quae tamen numquam praesumitur.  
Sequentia verba illud etiam dicunt: „vt si quis eos vexar-  
uerit, poena arbitrio iudicis plectatur.“ Sentio iraque,  
exemptionem istam falso niti fundamento, et itaque vsum  
plane non praestare, nec vnuquam apud nos adhiberi posse.

## §. II.

Nobiles. Indulget etiam hoc priuilegium nobilibus arg. I. 4.  
C. ad leg. lul. Maiestatis, in qua imperatores rescripsierunt:  
„nullum omnino, cui tormenta inferantur, militiae, vel  
„generis vel dignitatis defensione vi prohiberi.“ Notum  
est

est sub honore generis equites romanos intelligi. Carp-zov. q. 118. n. 76. Quistorp. §. 728. Quidam clericis etiam hocce priuilegium addicunt Koch instit. iur. crim. §. 858. Quistorp *Grundsätze des t. p. R.* §. 728. Böhmer introd. in ius dig. tit. de quaest. §. 3., credunt, in l. 8. C. de episc. et clericis hoc priuilegium contineri. Sed verba sunt ea: Presbyteri citra iniuriam quaestionis testimonium dicant. Hic Imperator Theodosius non loquitur de quaestione reorum, sed de Presbytero ad testimonium dicendum citato, constat enim, testem arduis in cauiss torqueri posse, ab hac poena itaque liberatur Presbyter. Potius apparet clericos ceteros, qui ordinem Presbyterorum sequuntur, non exemptos esse, lex enim citata dicit: ceteri vero clerici, qui deinde ordinem vel gradum sequuntur, si ad testimonium dicendum petiti fuerint, prout leges praecipiunt, audiantur, itaque etiam per tormenta possunt ad testimonium dicendum obligari.

### §. 12.

Adhuc quaestio nobis obuenire potest, an exemptiones De vſu ha-  
illae a tortura hodie vſu vigerent. In Nemeli Carolina rum exem-  
nullum exemplum nobis extat, vbi haecce priuilegia tionum.  
sublata sint, potius inuenio, priuilegia esse confirmata.  
Quamuis quidem Carolus imperator saepius ad dignita-  
tem personae respiciat, tamen scimus in delictis atrocioribus  
mitigandi cauiss dignitatem non esse, et cum legislator  
vbiuis

vbius mentionem facit *der kaiserlichen Recht und Rechte der Vorfahren*, satis apparet, sub iis verbis sumi iura romana, quia imperatores nostri successores veterum romanorum esse se adulantur. *Cum vero sciamus, iura romana in subsidium tantum apud nos recepta esse, et etiam C. C. a principibus territorii commutari posse, ob clausulam salvatoriam in praefatione annexam, sic quoque extra dubium est principibus imperii potestatem legislatoriam quoque contra leges imperii in causis priuatis et in eorum territoriis competere, Putter. inst. iur. crim. publ. lib. 5. c. 1. §. 217, 218. Mascov. princ. iur. publ. I. 1. cap. 2. §. 12. Stryk u. m. I. 1. tit. 3. §. 8. Ludouici ad C. C. p. 6.* satis apparet, etiam ratione torturae principes territoriales sanctiones quaslibet edere posse. Statuunt itaque ICti, personas illas, de quibus dixi, esse a tortura extemtas, sed consensu principis torqueri posse. Koch inst. iur. crim. §. 8. §8. Quistorp. *Grundsätze* §. 728. Stryk u. m. tit. de quaest. §. 3. ille enunciatur, in sententiis semper clausulam annexi, jedoch mit *Vorbehalt und Einwilligung der hohen Landes Öbrigkeit*. Carpzov. pr. nou. q. 118. n. 93. Engauius elem. jur. crim. I. 2. t. 9. m. 2. §. 247. Bochmer introd. in ius dig. t. de quaest. §. 11.

## §. 13.

B. ob defectum in-  
dicii. Immunes quidam sunt a tortura ob defectum indicii.  
Tortura est medium eruendae veritatis, quod in tales  
de-

decernitur, qui de crimine quidem non coniucti, tamen autem, ob summam probabilitatem suspecti sunt, vel de crimine commisso, vel de societate in illo perpetrato. Quam ob rem tortura irrogari nequit iis, qui clara cognitione veritatis destituti sunt, Boehmer ad Carpzov. q. 118. obs. 3. Sicut enim in poenis irrogandis voluntas hominis et animus probe attendendi sunt, ita et in tormentis decernendis, iudex iudicium et intellectum rei bene perpendicularere, cumque, in quo defectum iudicii et imbecillitatem intellectus deprehendit, quaestionibus subiicere non debet.

- 1) Quia personae tales neque vere delinquent, nec delicti poena puniantur, quippe in hos animus nocendi non cadit.
- 2) Quia tortura fragilis est, quae saepius veritatem fallit.

Libri sunt itaque furiosi et melancholici, I. 3. §. 11. π. ad S.C. Silan. vbi verba: „furiosos excipi nequaquam dubium est.“ Stryk de dement et melanch. c. 1. §. 15. Koch inst. iur. crim. §. 858. Modo tamen de furore aut summae melancholie gradu certo constet, quare et prius quam aduersus eiusmodi homines quicquam decernantur, indagatio iudicij a perito requiritur, ne malefici homines furem et melancholiā fingentes, torturam et poenam effugiant. Carpzov. qu. 118. n. 18. Tales ne quidem tempore dilucidi interualli torturae subiici queunt. Qui-

C 3

Storp.

florp. §. 726. n. 6. Minime tamen nuda simplicitas, quae cum dementia non coniuncta est, a tortura liberat, d. Kramer tom. 3. obs. 894.

## §. 14.

b. surdi et muti simul. Immunes quoque sunt surdi et muti simul, natura tales. Cum furiosis aequali iure censentur, quia confessionem sufficientem et claram deponere nequeunt, Quistorp. §. 726. Claproth Einl. in fämtl. summar. Proz. §. 594. Carpzov. qu. 115. n. 71.

c. impuberes. Porro a tortura sunt liberi impuberis L. 10. pr. π. de quaest. vbi verba: „de minore quatuordecim annis „quaestio habenda non est.“ Tamen restringendum est hoc dictum ad tamē impuberem, qui cognitione veritatis caret, casū contrario torturam locum habere decernit L. 1. C. si aduersi. del. vbi verba inueniuntur: „in criminibus quidem, aetatis suffragio minores non iuuantur, etenim malorum mores infirmitas animi non excusat.“ Quistorp. §. 726. Claproth l. c. §. 594. Prouidentiam hoc in casu nobis praecipit L. 15. §. 1. π. de quaest. verba sunt illa: „Vbi vero de minore quoque quatuordecim annis in caput „alterius quaestionem habendam non esse, Datus Pius „rescripsit maxime cum nullis extrinsecis argumentis „accusatio impleatur, nec tamen consequens esse, vt „etiam sine tormentis illis credatur, nam aetas, quae „aduersus asperitatem quaestionis eos interim tueri vi- „detur,

„detur, suspectiores quoque eosdem facit, ad mentiendi  
„facultatem.“

S. 15.

Quibusdam ob imbecillitatem corporis tormenta ap- C. ob im-  
plicari nequeunt. Inter hos complectimur becillitatem  
corporis,

a) praegnantes vxores, sunt expressa verba L. 3. π. a) praeg-  
de poen. „praegnantis mulieris consumendae damnatae nantes uxo-  
„poena differtur quoad pariat.“ Ego quidem, et ne res.  
quaestio de ea habeatur, scio obseruari quamdiu praegnans  
est. Ratio est duplex

a) vt foetus seruetur saluus et illaeſus. L. cit. 3. π. de  
poen. Vlpianum auctorem habet, et illam rationem  
ipſe Vlpianus confiteri videtur in L. 18. π de statu  
hom. vbi dicit: „Imperator Hadrianus Publicio Mar-  
„cello rescripsit, liberam, quae praegnans vltimo  
„suppicio damnata est, liberam parere, et solitum  
„esse, seruari eam dum partum ederet.“

b) ne ipsamet foemina praegnans, quae plerumque  
debili est corpore, ex doloribus tormentorum dam-  
num vitae sentiat, facile namque aliquid extrinsecus  
accidere potest, quod corpus eius in valetudinem  
immitat. Arg. L. 14. §. 2. π. de ed. aedil. vbi Vlpia-  
nus: „Pueroram quoque sanam esse, si modo nil  
„extrinsecus accidit, quod corpus eius in valetudi-

„nem

„nem immitteret,“ idemque enunciat in L. 2. §. 4. π.  
 si qui caution: „si, non propter valetudinem mulier  
 „non steterit, sed quod grauida erat, exceptionem ei  
 „dandam Labeo ait: si tamen post partum decubue-  
 „rit, probandum erit, quasi valetudine impeditum.“  
 Nullum plane discriminem adest, ratione partuum, ad-  
 huc in ventre latentium, an sint vel illegitimi vel  
 legitimi, et harum specierum ratio quoque non ha-  
 betur. Non enim debet calamitas matris nocere ei,  
 qui in ventre est, L. 5. §. 2. π. de stat. hom. nil quo-  
 que refert, an mulier praegnans proxima sit partu,  
 an vero ante paucos dies conceperit. Grantz def. in-  
 quis. p. I. c. 8. m. 2. f. 3. art. 4. n. 325. art. 7. n. 689.  
 Leyser specim. 14. med. 1. Harpprecht decis. 124.  
 n. 64. Quo casu licet foetus nondum animatus sit,  
 attamen propter spem futurae animae mulier  
 tormentis subiicienda non est. Carpzov. qu. 118.  
 n. 55. aequo enim peccat, qui nascentem disturbat  
 animam, ac is, qui natam eripit: et mulier praegnans  
 ex metu quoque et vi tormentorum eiicere potest  
 embryonem. Certitudine autem nititur, mulierem  
 post partum intra 40 dies torqueri posse. Alberti  
 diff. de tort. subiect. aptis et incept. secund. moral. et  
 physic. cauf. cum vber. iur. consultor. et medic. suf-  
 fragiis in iuris prud. med. tom. 3. append. pag. 190.  
 Exceptio hic adest illa, nisi singulares circumstantiae  
 dete-

detectionem complicum necessariam faciant, vbi qui-  
dem intra 40 dies fieri potest, sed ita, ut ultra illam  
gradum *Daumenstücke* non transgredietur iudex. Harp-  
precht conf. 80. n. 6. Notandum vero, quod in casu,  
vbi de torquenda foemina praegnante agitur, non cre-  
datur mulieri dicenti, se grauidam esse, ad effugien-  
dam torturam, sed iudex dubitans consulat obstetrices  
et medicos iuratos, secundum eorundem dispositio-  
nen super mulieris praegnantia sententiam suam for-  
met. Nisi de atrocissimis delictis agatur, etiam foemina  
partum lactans a tortura immunis est, vel mo-  
derate adhibetur. Beyer ad Art. 59. C. C. pol. 16.  
ait: si mater quae infantem adhuc lactat, tormentis  
sibiicienda est, iudex consideret, an delictum, quod  
nec atrox sit, nec poenam capitalem mereatur, con-  
currat, tunc enim vel iuramentum purgatorium in  
locum torturae surrogare, vel remissa fustigatione,  
relegationis perpetuae poena imponi poterit. Quod  
si autem poena capitalis matri dictanda, iudicis offi-  
cium exceedere videtur, potestas minuendi gradum  
torturae et supplicium remittendi, vtrumque enim  
principis gratiae potius committendum, aut executio  
quaestionis vel poenae differenda.

## §. 16.

b) senes.

Ob imbecillitatem a tortura liberi sunt senes, qui aetate defecti sunt, L. 3. §. 7. π. ad S. C. Silan. vbi ait Vlpianus: „ignoscitur etiam iis, qui aetate defecti sunt;“ non solum pareuntur ob imbecillitatem corporis, quae tormenta haud patitur absque singulari sanitatis et vitae damno, sed et ob imbecillitatem intellectus et iudicii, quia senes ut plurimum sunt delirantes, ac memoriae vitiis laborant; notandum adhuc est, tantummodo eos senes a tortura liberos esse, qui aetate sunt defecti, ac bonam partem virium et mentis ob senectutem amiserunt. Minime autem robusti ac perspicaces, quales haud raro adhuc esse homines sexaginta vel septuaginta annis experientia quotidiana docet. Iudex itaque non tam de numero annorum, quam de infirmitate virium diligenter inquirat, eosque in casu torturae senes definiat, qui propter aetatem decrepitam et corporis debilitatem tormenta pati haud possunt.

## §. 17.

c) valetudinarii.

Eximuntur porro valetudinarii a tortura ob defectum virium et corporis imbecillitatem, et si enim morborum ipsi auctores fuerint, tamen non torquentur. Valetudinarii sunt illi, qui omnis ulterioris gradus sunt inpatientes, ita ut si tormenta adhibeantur, mors certo videatur imminere, L. 3. pr. π. ad S. C. Silan. ait Vlpianus: „Si quis in graui valetudine est affectus, opem domino ferre non

„non poterit, subueniendum est illi.“ Si morbus est talis  
 vt de vitae periculo non sit verendum moderata tamen ad-  
 hibetur, ne maius damnum ille miser inde sentiat, Qui-  
 stor. S. 727. Varii morbi nominantur in Claprothii  
*Einleit. in sammnl. summar. Proz.* S. 594. Illi qui febre  
 quartana laborant, cessante paroxysmo torturae subiici  
 queunt, Engav. elem. iur. crim. I. 2. tit. 19. m. 2. §. 235.  
 Praecipue contra epilepticos vltra primum gradum non  
 proceditur. Cresl ad art. 59. C. C. quamuis Claproth  
 l. cit. dicit tales homines plane non torqueri, cui assentio,  
 nam quilibet actus, qui neruos satis fortiter tangit, illum  
 paroxysmum excitat, illud autem horribile quoddam esse,  
 quisquis scire potest; esset hoc loco tortura medium ex-  
 citandi paroxysmi et nemo criminum doctorum illud ap-  
 probaturus est. Imperator Carolus quintus ipse in art. 59.  
 regulam nobis praescribit. So der Beklagte gefährliche  
 Wunden oder andere Schäden an seinem Leibe hätte, so soll  
 die peinliche Frage dermaßen an ihm vorgenommen werden,  
 damit er an solchen Wunden oder Schaden am mindesten ver-  
 letzt werde. Beyer ad art. cit. Quodsi enim torquendus  
 hernia vel epilepsia laborat, aut membris mutilatis vel de-  
 bilitatis sit affectus, item si foemina partum vberius alat,  
 tortura moderatius instituenda, et superueniente malo  
 epileptico finienda.

## §. 18.

an tortura  
ipsius, et naturae humanae conueniunt. Nunc autem quaestio oritur, an tortura ipsa sit abroganda. Cum numerum  
ICtorum Clar. videre, qui torturae defensionem in se  
recepérunt, satis temerarium opus videtur, contra illos  
pugnare. Tamen ex acie nondum recedo, quia maximi  
momenti ICti peres partes meas adstant. Sunt sequen-  
tes:

- 1) *Augustinus de ciuitate Dei*, I. 19. c. 6. apud Gribner  
in opusc. iur. priu. f. 5. de repet. tort.
- 2) *Zepper de legibus mosaicis*, I. 5. c. 10. p. 644.
- 3) *Broidaeus ad Pollet. histor. for. rom.*
- 4) *Panzirillus* I. 1. var. lect. c. 41.
- 5) *Wesembecius ad tit. pand. de quaest. n. 105.*
- 6) *Bachouius ad paratit. Wesemb. t. de quaest. n. 1.*
- 7) *Graevius in tribunali reformato Hamb.* 1624.
- 8) Vterque *Ant. Matthaei*. Pater edidit collegium fun-  
dam. iur. disp. 7. th. 16. filius autem scripsit de cri-  
minibus ad lib. 48. t. 16. c. 5. p. 801.
- 9) *Schotanus apud Huberum ad titul. pand. de quaest.  
n. 1.*
- 10) *Wissenbach ad tit. pand. de quaest. §. 13.*
- 11) *Regnerus ad pand. disp. 61. ad L. 1. pand. de quaest.  
p. 107.*
- 12) *Gribner in opusc. iur. priuat. t. 5. sect. 5. th. 2. 3. 4.  
13)*

- 13) Scheller differt. de tortura in republica Christian. non exercenda, Lips. 1742.
- 14) Nicolas, si la torture est un moyen seur à verifier les crimes secrets à Amsterd. 1682. in ling. latin. versl. Argent. 1697.
- 15) Thomafius D. de tortura ex foris Christianorum proscribenda, Halae 1705.
- 16) Beyer ad Art. 20. C. C. pos. 1.
- 17) Leyßer spec. 680.
- 18) Von Sonnenfels von der Abschaffung der Tortur, Zürch 1775.
- 19) Beccaria dei delitti e delle pene, aus dem Ital. Ulm 1767.
- 20) Entwurf eines Gesetzbuchs in Criminalsachen, 1ter Th. 7ter Abschn. §. 15. 12ten Abschn. §. 1.

Nunc dissentientes quoque allegare opus est

- 1) Oldekopp in obs. crim. p. 452.
- 2) Hahn ad Wésenbec. t. de quaest. n. 11.
- 3) Tabor de tort. et indol. del. cap. 2.
- 4) Huber ad tit. de quaest. §. 1.
- 5) Zoll. d. de quaest. s. tortura, Rinthelli 1693.
- 6) Eckoldt ad tit. II. de quaest. §. 1.
- 7) Born programm an fas sit, in republica iudic. christ. torturam tolerare.
- 8) Carpzov qu. 117. n. 3.

D 3

9) Vo-

- 9) *Voetius ad tit. de quaest. §. 1.*
- 10) *Struv. Diss. crim. th. 16.*
- 11) *Boehmer introduct. in ius Dig. t. d. qu. §. 2.*
- 12) *Bodin. de usu et abusu torturae, th. 5.*
- 13) *de Boehmer ad Carpzov qu. 117. obs. 1.*
- 14) *Struben rechtl. Bed. 2ter Th. n. 139.*
- 15) *Zoller Diss. vtrum tortura penitus sit abroganda, an tantum limitanda videatur, Lipc. 1773.*
- 16) *Quistorp. §. 723.*
- 17) *Banniza. disq. de tortura nec ex integro reprobata nec ex integro approbata.*
- 18) *Götz Diss. de tort. eiusque minis caute adhibenda, Altorf. 1776.*
- 19) *Koch in der Vorrede zur H. G. O. §. 4.*
- 20) *Quistorp. §. 723.*

§. 19.

Tres casus sunt, quos suppono ad probandam sententiam meam, torturam abrogari posse:

1) inquisitus per probationem plenam de crimine commisso est conuictus. Hac de re loquitur ipse Carolus quintus in Art. 69. So der Beklagte nach genugſamer Be- weifung noch nicht bekennen wollte, soll ihm angezeigt werden, daß er der Miffethat bewiesen sey, ob man dadurch sein Bekenntniß desto eher auch erlangen könnte; ob er aber dennoch darüber nochmals nicht bekennen wollte, des er doch als

als obfchet, genugsam bewiesen wäre, so soll er nichts desto weniger der bewußten Miffthat noch ohne einige peinliche Frage verurtheilet werden. Omnes plane tibi consentiunt eum hoc articulo. Cress ad Art. 69. Barth de conuictio non confessio c. 2. §. 2. p. 19. Dressel d. de delinquente conuictio licet non confessio poena ordinaria adficienda, len. 1726. Leyser spec. 641. Böhmer d. de poena sine crimine c. 1. §. 6. Reinhardt. de tortura in cauf. ciuilib. §. 1. Koch. inst. iur. crim. §. 810. Quistorp. *Grund-sätze des t. p. R.* §. 677. de Bochmer ad Art. 69. C. C.

2) Si inquisitus quidem est suspectus sed non semi-plene conuictus, omnis tortura cessat.

S. 20.

3) Si semiplena probatio adest. In applicando axiomate, inquisitum qui semiplenam probationem contra se habet, tormentis esse subiiciendum, saepius innocentissimi homines ad mortem damnarentur. Romani iam de tortura optime non cogitauerant, de hoc testatur I. I. §. 2. 3. 2. de quaestionibus: ibi Vlpianus ait „quaestioni fidem non „semper, nec tamen vñquam habendam constitutionibus „declaratur, etenim res est fragilis periculosa et saepe ve- „ritatem fallit, nam plerique patientia sive duritia tor- „mentorum, ita tormenta contemnunt, vt exprimi eis „veritas nullo modo possit; alii tanta sunt impatientia

,vt

„vt quouis mentiri, quam pati tormenta velint, ita fit,  
 „vt etiam vario modo fateantur, vt non tantum se, verum  
 „etiam alios comminentur.“ Perspicue et naturae huma-  
 nae conueniens disserit auctor libri. Entwurf eines Ge-  
 setzbuchs in Criminalsachen 10. Abschn. §. 8. Die Klippe,  
 welche bey Beweisen sorgfältig zu vermeiden ist, bestehet  
 darin, daß man aus vielen unvollständigen Vermuthun-  
 gen und Wahrscheinlichkeiten eine Art von künstlichen Be-  
 weis führen will, tausend Wahrscheinlichkeiten wiegen kaum  
 einen einzigen vollständigen Beweis auf, und es ist besser, daß  
 in solchem Zweifel einige Schuldige ohngestrafft bleiben,  
 als daß ein Unschuldiger ungerechterweise mißhandelt wird.  
 Sanissimum hoc est principium, et certe si multi tales  
 autores extarent, iurisprudentia criminalis amoenissimum  
 et utilissimum studium esset. Nihil enim gauisu dignius,  
 quam vnum hominem absoluere et expost innocentiam  
 suam claram reddere. Aut. lib. cit. 12te Abschn. §. 1.  
 inquit: *Die Tortur soll daher gänzlich abgeschafft werden,*  
*indem der Schwache an Nerven empfindliche Unschuldige*  
*dadurch zum Bekenntnisse genöthigt wird, da mittlerweile*  
*der starkgebaute unempfindliche Verbrecher frey durch-*  
*kommt.* Omnes illi qui torturam defendant talibus ratio-  
 nibus non sunt suffulti. Difficilius tamen erit surrogatum  
 quoddam torturae invenire. Inter omnia mihi videntur  
 aptissima:

x) iuk

- 1) Iuramentum purgatorium, secundum principia  
iuris criminalis illud decernitur:
- in delictis leuioribus;
  - in delictis grauioribus ob indiciorum leuitatem  
metu periurii cessante;
  - si reus ob personae dignitatem a tortura libera-  
tus est;
  - si corpus delicti quodammodo est ambiguum.

Sed si bene proderamus, homines Deum colentes, et antea de periurio admoniti, libentius poenam eti capitelem ferre, qua peccare volent, quorum multa exempla nobis constant. Credo, etiam in delictis grauissimis religio-  
nem tantam vim habituram, ut, si quis de salute sua aeterna periclitaretur, crimen suum etiam atrocissimum confiteretur. Cum e contrario maximi dolores cor-  
poris per tormentorum applicationem excitati, illum effectum non producerent, quia nemo religione se ob-  
strictum hoc casu credit ad crimina reuelenda. Nihilominus etiam hocce surrogatum quodammodo est incer-  
tum. Iuramentum enim purgatorium est quasi contra-  
dictio inter leges et naturam hominum, nam leges desi-  
derant eo in casu, ut reus de veritate deponat, ubi com-  
modum eius priuatum, silentium illi imponat, quid est  
magis commodum priuatum quam vita hominis? Quilibet

E

homo

homo opinatur Deum illi perjurium condonaturum esse, et nunquam confitebitur. Religio tacet vbi usus proprius in collisione cum illa versatur. Optima sunt verba Strykii in Melet. de iuram. p. m. 138. reo quidem meo iudicio ut parcatur animae eius, remittendum esse iuramentum arbitror. Sed tamen, quia suspicionibus et indicis gravatus est, extraordinarie puniri debet. Hoc enim malis moribus suis et quia depravata vita causam suspicionis dedit, satis meruit, utile etiam est, ut si lenior forte confessio delicto poena statuenda, sententia ita concipiatur, quo iurans videat, non tanti esse propterea perjurium committere, et hac ratione abstrahatur.

§. 21.

2) Poena extraordinaria. Poena est malum passionis quod quis ob violationem legis poenalis subire tenetur, ergo poena hic delictum supponit, nam quaelibet violationis legis poenalis vocatur delictum, vbi ita delictum non adest, ibi etiam poena locum non habere deberet. Quia vero culpa inquisiti saepe factum est, ut in indicis et suspicionibus grauatus sit, etiam poenam latet, minime autem ordinariam, quae confessionem aut conuictionem praeponit, sed extraordinariam. Credo poenam extraordinariam hoc in casu obtinere posse, et nimis tamen quae libertatem constringat, salus publica enim suadet ut inquisitus indicis grauatus non penitus absoluatur, sed tamdiu in custo-

custodia teneatur usque nouae rationes vel innocentiae vel doli adsint. Saepe enim fit, ut post quosdam annos, innocentia cuiusdam inquisiti detegatur, vel etiam noua inventantur quae certitudinem delicti in apricum ponunt. Propono itaque opinionam meam quae illuc tendit, ut inquisitus quoad tempus indeterminatum et tamdiu in custodia pro ratione criminis et personae suspectae conseruetur, usque ille ob fastidium custodiae vel crimen confiteatur, vel iudex arbitretur, ut intra carcerem et suspicionem proportio adsit, tunc enim aequalis illis est censendus, qui torturam perpelli sunt, et itaque absoluendus est, donec de novo rationes suspicionis scelere exferant, ubi inquisitio de novo est instituenda. vide Leyser spec. 641. m. 5. Schaumburg d. de delinquentे neque confessō, neque convictō Struben r. B. p. 2. n. 139.

---

### E r r a t a.

- Pag. 3. lin. 6. p. *terram* nobis praeber Tabor, lege *quartam*.  
 — 8. — 20. *Struben* r. B. lege *Struben* r. B.  
 — 14. — 6. *extorquatur*, lege *extorqueatur*.  
 — 16. — 16. *ruficas*, lege *ruficos*.  
 — 17. — 13. *condito*, lege *conditio*.





VD 10

**ULB Halle**  
005 364 396


3





B.I.G.

Farbkarte #13



LIBRIO INAVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
TITIS TORTVRAE,

SIMVL

SOLVTIONE QVAESTIONIS,  
SIT ABROGANDA, ET QVA-  
ROGATVM SIT SVBSTITU-  
TVENDVM?

QVAM

STRIS FACVLTATIS IVRIDICAE  
QVA ELECTORALI VNIVERSITATE  
ERFORDIENSI

R A D V D O C T O R I S

DIE XXII. NOVEMB. 1792.

Q V E P R A E S I D E

PUBLICE TVEBITVR

R J S T. & M A N. V O G E L  
S R F O R D I E N S I S

d. ET ADVOCATVS REGIMINIS ELECTORALIS  
DICII PROVINCIALIS RECEPTVS.

ITTERIS GOERLINGIANIS, ACADEM. TYPOGR.